

### III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 23.

---

*Secretum litterarum Commercium inter Vivos  
et vita functos.*

Ad Ministrum olim publicum C. a Herzberg  
in Elyio.

Ex mundo superiore.

---

Elyslum-Meum.-Die Martis 25 April. 1809. (Neov. 4. April. 1809)

---

**S**i quid est in argumeto politico, in quo  
Excellentissima Dominatio tua tam exigua  
cum mentis perspicacia & sapientia habe-  
nas moderabatur, sed si quid est, quod gra-  
ve & momentosum videtur, tum mearum  
partium ducio: id genus adparitionis pro di-  
gnitate sua indicare.

Ex eo tempore multa (non computatis  
innumeris politicis Anecdotorum Collectioni-  
bus & Jeremiadibus) in Borussicis ditioni-  
bus de optima status forma scripta sunt;  
verum nihil u piam prolatum, quo genuina  
Politice Problemata in medium producta,  
taceo quo ea soluta fuissent. Genuine pra-  
ctice notiones, non facientibus quidpiam omni-  
bus experiendis in hoc genere. majore in cru-  
ditate jaent adhuc, quam Anno 1789 ea  
estate, qua Constitutio in libro: *Adversaria  
Departamentorum (Cahiers des Departements)*  
luci edita est, quod tanto mirabilius merito

accidere debet, cum tota res in Germania meris abstractionibus nitatur, & theoreticæ indagations in examen veri solum de optimo mundo politico tendentes auctorum nulla affectibus ducta fatione turbentur.

Interim opera Cl. Professoris Berolinensis B. (quamquam numerosis erroribus, sophismatis repleta) tamen continent plurimum acumen, & ex respectu valorum litterarium omnino habent, imo si posset ejus ideale Imperavis, ita dicta *Intelligentia* exquiri profecto unam solum sententiam de multis ejus summi principiis tenere deberemus.

Cum vero de præsentī non ab arte pendeat, ut in sphaera politicorum somniorum cum agilitate discurratur, verum potius ideæ solum, quæ humanæ naturæ generatim, & usque pædagogicam renascentiam nostram præsentibus societatis adjunctis accommodæ & in effectum deducibiles ideæ genuinum valorem nunciari possunt, idcirco practicus Politicus omnes hos elegantes Chimericos Conceptus risu necessario excipere debet; Nihilominus clarissimus Professor Buchholz sua pia desideria luculente saltim proponit, & si is etiam, qui bella calamo gesta, tempore revolutionis secutus, in ejus operibus nullam novam rem deprehendat, grata tamen comparent veste evolutæ in iis notationes.

Datur æque theoria Politicæ quam Medicinæ; Recur igitur in hac una scientia Centuria Systematum proponi non posset? ad

hoc equidem censeo, in hac opificio simili scribendi indulgentia nostra quemvis paratum animo oporteret! In Gallia Jacobini politici Browniani erant: ægrotus vero acerbis remediis interemptus est.

Apud nos, non datur Politica sint grates superis! Experimentalis, — nos versamur solum in disquirendis præposteris discussionibus, quod probabiliter posteris solum nostris fructus feret.

At vero novum litterarium phænomenon attentionem nostram excitat, utpote Forma status Domini Comitis K. Novus hic politicus reformator amplis prætensionibus fretus procedit, implicat se lepidissimis Aphorismis & definitionibus, textitque re vera politico auditorio ratum paradigma contradictionum, experientiæ defectus, & perversi mentis conceptus. Secundum memorati Comitis sententiam, & ejus excelsa moti auctoritate maximæ commoditati indulgendum habemus — ante erectionem novæ politicæ machinæ quasvis ex historia haustas experientias ad mare projicere, in ejus vicem ut veniam consequamur: in spatio vacuo ejus phantasie in novas detectiones in Politico regno excurrendi.

Ex eo primum discimus momentosam illam detectionem, 4 Ministrorum officii opus esse; Jurata Tribunalia & in Causis civilibus fini accommoda esse, tum usum quamquam non practicum Judiciorum morum, Collegiorum Instructionum & pag. 45

de eo plane certiores reddimur: Ejus ministro negotiorum internorum quemlibet Civem Civitatis sibi surrogandi potestatem esse debere.

Ejus fœtus ingenii, quem nullus Scultetus vilissimi pagi effectui dare posset, (omnia hæc audimus & intelligimus ex nubibus inanissimæ verborum congeriei apodictice & in stilo extolli, cujus unum meritum est summa obscuritas.)

Si Rabener & Mægister Panglos pag 17 & 45 hujus operis legissent; nullum publicum ministrum absque fine agere posse; quodque Minister ad implendam mensuram expectationis, quam D. Comes de K. de eo concipit, non plus nec minus opus habeat, quam ut in statione sua consistat, tum ille proverbium suum: Cui Deus munus largitur, eidem & aptitudinem impertit; iste vero optimum suum mundum dupla ratione defensum & evictum deprehendisset.

Quod si vero D. Comes per verba: in statione sua consistere, Conjunctionem quarumvis rararum dotum (quas in ministro deposcit) in persona sui ministri negotiorum internorum intelligat, eotum in Monarchia Borussica, in qua innumera papyri copia erroribus Ministrorum typo editis consumpta est, admodum præciare agetur, si exoratus fuerit, ut italium ministrorum *titulaturam* suppeditet, si quidem nequaquam suspicari liceat, ut reformator Status Romanensibus & fabulosis mentis conceptibus Publicum oblectandi animum habeat.

Si Borussia politicam suam restitutionem ab talibus reformatoꝝibus expectat, quos intelligit nemo, quique, ut probabile est, semet ipsos non intelligunt, tum profecto satius esset, ut investigetur prius vetus contracta machina penitus, cura impenderetur ejus solum reparationi, quin de structio-  
ne novæ cogitatio suscipiatur, ad quam ibidem nullus adhuc Architectus auctor studia sua ad finem perduxisse videtur.

In genere certum manet: quamdiu in Germania anathematum quæstus Philosophia adpellabitur, nova verba pro nobis rebus reputabuntur, in obscuritate robor quæretur, adeo exiguus sensus pro eo, quod in effectum deduci potest, habebitur, & in Concavo lunæ tantum versabimur, tamdiu Politicam nullos progressus facturam.

Interea quo in Borussicis ditionibus in argumento reformandi status speculatio suscipitur, in Svecia spiritus reformationis se extollit a subditis ad Imperantem. Rex Sveciæ regimine se abdicavit, Duxque Sudermaniæ id assumpsit; Memorabilis hic eventus in Hamburg. Ephemeridibus sequenti ratione describitur.

Die 13. Martii inter 10 & 11 antemeridiana Holmiæ intra horæ spatium notabilis revolutio in effectum deducta est.

Sinistra bella, quæ Svecia ex pluribus annis gessit, nationem adversus Imperantem suum exasperarunt, pertinacia, qua is nulla ratione de compositione aut pace quidpiam

scire volebat, hoc indignationis argumentum auxit, crevitque ad summum per rationem agendi, quæ novissimis temporibus inita est; ita factum est: ut 3 legiones prætorianæ ad inferiorem gradum detrusæ maxima militiæ pars fame & ærumnis oppressa, exercitus, qui tam strenue pugnare, ob malas dispositiones rebus maxime necessariis laborarunt, stipendiaque eorum ad hæserunt.

Omnia hæc adjuncta connexa cum adhæsione omnium officiorum magis continuo portendebant revolutionem aut novam rerum mutationem.

Exercitus occidentalis, qui superiore anno adversus Norvegiam operari debuit, signum dedit revolutioni. Agmen exercitus hujus sub imperio Gen. Ducis Adlersparre & Colonelli Skoldebrand, 6000 circiter viris constans Holmiam se contulit, eorum consilium erat sinistro rerum statui hac vel alia ratione finem imponendi.

Rex eos adventare primum intellexit cum 15 solum milliaribus urbe distarent. Erat dies Domini 12. Martii.

Sua Majestas Hagæ ipso illo tempore morabatur & confestim Holmiam petiit. Primum consilium erat urbem defendendi, quævis eum in finem rationes & dispositiones factæ nocte 13. præcedente.

Præsidarii urbis constabant binis legionibus Pomeranicis, utpote Engelbrechteniana, & legione reginæ, porro aliquot Centu-

riis legionis Granatariorum Prætorianæ militiæ, & ductibus Cataphractorum. Præterea 8 tribus equitum tormentariorum instructæ sunt, & per mœnia distributæ.

Verum brevi Rex consilium mutabat, decrevitque cum iisdem copiis Linköpingam proficisci. Pars earum dimidia legio videlicet reginæ & 4 tormentariorum equestrium tribus reapse nocte eo iter ingressæ, reliquæ pars regi comitando destinata. Consilium regis erat Linköpingi, quem potest colligendi militem & adversus alios progrediendi.

A Mensa argentaria 2 milliones Imp. mutuo sibi dari petiit, ad quod cum ei proponeretur, id genus mutui locum habere non posse, necessariis ad violentam exactionem mediis agendi subscripsit, quæ Turma Civica Holmensis die Lunæ mane, utpote 13. exequenda habuit.

Discessus Regis totiusque reginæ familiæ in horam 10. matutinam desigebatur, Universa Collegia, prout & militia Holmiæ Imperantem comitari debuisset. Eodem die Lunæ, pro more pompa erat, & festivus apparatus, omnes Legiones Holmiæ ad arcem congregatæ erant.

Prævidere licuit, discadente rege bellum Civile inevitabile esse, Holmiam in discrimine dereptionis & Cædium versari præsentissimo.

In his Criticis adjunctis decreverunt Campi Mereschallus Klingspor, & Generalis Adlecreutz, qui novissime in Finnia morabat,

Præses Lersmeder, & aulæ Mareschallus, Colonellus a Silfversparre, Suæ Maj. urgentiores adhuc propositiones facere.

Gen. D. Adlercreutz oratione præibat, omnia principi memoravit, quæ in argumento adversorum regni adjunctorum in tali articulo memorari poterant, votumque nationis edebat: ut Sua Maj. aliquas rationes inire dignetur, quibus quies & tranquillitas paxque reduceretur.

Hæ propositiones ingenue prolatae regem magis exasperarunt. Ejus animus obfirmatus & induratus neo hoc articulo temporis dissimulare poterat. Commotus in G. Ducem Adlercreutz gladium evaginatum stringit at is manu ei ereptus est: una Kling-spor, Adlercreutz, aliique Principi declarabant: tum suæ propriæ, tum publicæ securitatis gratia eum in Carcerem & sub custodiam ponendum esse; hæc adnunciatio vehementissime illum percoluit. Erat spectaculum terribile.

Ut Holmiæ fertur, exacta revolutione Campi Mareschallus Klingspor Supr. Gubernator urbis, & Adlercreutz Adjutor fungens creati sunt.

Impatiens moræ, quæ in subsidiis Angli necunt, rex Interdicto naves Anglicanas Gothenburgi affecit. Quod vero ante abrogatum & revocatum est, quam revolutio erupisset.